



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Cap. XIX. De Congregatione super negotiis Episcoporum & Regularium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

particulari causa in qua emanant. *Nota*
possunt ff. de leg. Ergo idem quoque di-
 cendum erit de Declarationibus S. Con-
 gregationis. Resp. Negando paritatem,
 nam jurisdictio aliorum Judicum restri-
 cta est ad certas personas, & determi-
 natos limites territorii. *l. fin. ff. de jurisd.*
omn. jud. At vero cum S. Congregationis
 Auctoritas extendat se generaliter ad o-
 mnia Decreta Concilii declaranda pro
 toto Orbe Christiano, Declarationes
 ejus omnes ligant, non secus ac ipsæ le-
 ges, quas declarant, licet editæ sint
 in casu speciali, nec aliter quam respon-
 sum Pontificis datum in particulari ca-
 su facit commune. *c. Ex multa de vot.*

C A P U T X I X.

De Congregatione super Ne- gotiis Episcoporum & Regularium.

1. Congregationis hujus instituto.
2. Negotia hic expediuntur forma extrajudi-
 ciali.
3. Duo negotiorum genera hic tractantur.

In primo, quis stylus servetur.

6. & 7. Quomodo contra Episcopos procedatur.

8. & 9. In causis contra Regulares quomodo procedatur.

10. Congregatio est occupatissima, & omnia gratis expedire solet.

11. ubi & quando habeatur Congregatio.

12. Literæ & Decreta hujus Congregationis subscribuntur à Præfecto & Secretario.

I.

Sixtus V. Constit. 74. instituit duas Congregationes, unam super negotiis Episcoporum, alteram super negotiis Regularium, quas deinde conjunxit, ut utraque unam eandemque constitueret; quæ ex 24. Cardinalibus & uno Prælato, qui Secretarii munus gerit, constituitur. Antiquior inter illos Cardinalis Præses est, seu Præfectus.

In hac Congregatione res formalem processum tractari non solent, quæ in formâ summarîâ & extrajudiciali expediuntur. Sixtus V. cit. Constit. de Luca disc. 1. num. 45. de Regularibus, eoque controversiæ terminantur hic more Principum absque strepitu & formâ

mâ iudicii, sed solum inspectâ facti veritate, ac frequenter etiam sumptâ tantummodo extrajudiciali ac secretâ informatione.

3. Duo vero sunt diversorum negotiorum genera, quæ ad hanc Congregationem pertinent; Unum est, cum controversiæ oriuntur inter Episcopos aliosve Prælatos aut Vicarios & Officiales ex una, & Subditos, vel regulares ex altera parte, si nimirum hi graventur vel à locorum Ordinariis, aut ordinariam Ecclesiasticam jurisdictionem habentibus, vel à Parochis aliisque Clericis sæcularibus. Alterum est, cum contendunt inter se Religiosi, idque diversis modis fieri solet: Vel enim controversiæ intercedunt inter Religiosos ejusdem vel diversi Ordinis, vel inter Religiosum & ipsam Religionem vel inter Monasteria Monialium ipsasque Moniales.

4. In primo controversiarum genere hunc stylum Congregatio servare solet: Si sint causæ contentiosæ, quæ processum & telam judiciariam exigunt, deputatur pro singularum causarum propositione Cardinalis aliquis, qui Ponens dicitur; Hic causam sibi commissam à se
 prius

rius bene ponderatam breviter ac di-
ucidè in Congregatione proponit, ut
quod æquitati ac Justitiæ consonum est,
statui possit. Contra hunc à neutra par-
te excipi potest, licet sit Ecclesiæ, de
cujus causa agitur, Præsul, Commenda-
tarius, aut Protector, prudentius tamen
tunc abstinet.

5. In causis Episcopos concernenti-
bus hic procedendi modus observatur.
Cum Congregationis hujus institutum
sit juxta mentem Institutoris, ut sum-
mariè negotia pertractentur, recipiun-
tur in formâ extrajudiciariâ subditorum
recursus, eorumque querelæ audiuntur,
quas in libello supplici proponunt ad-
versus gravamina Ordinariorum, alio-
rumque Prælatorum ac Vicariorum aut
Officialium. Lecto in Congregatione
libello, mittitur epistola familiaris sub-
scripta à Præfecto & Secretario nomine
Congregationis ad Episcopum vel alium
Superiorem cum copiâ porrecti à grava-
tis libeli, ut de contentis in eo sacram
Congregationem informet. Accepta
informatione, si ea non discrepet in fa-
cto ab illis, quæ narrarunt gravati, pro-
ponitur negotium in Congregatione,
eoque discussio fertur sententia, pro cu-

Jus executione dantur pariter literæ familiares ad Episcopum vel Superiorem directæ ; Quandoque etiam, si causa sic postulet, committitur executio Metropolitanæ seu viciniori, aliive Prælato in forma extrajudiciali faciendâ. Vel datur etiam aliquando decretum in formâ authenticâ manu Præfecti & Secretarii subscriptum, sigilloque munitum, ut Partes adeant Judices ordinarios pro observantia & judiciali executione sententiæ, eumque in finem expediuntur monitoria ab Auditore Camerae, & quandoque etiam per Secretarium Brevium literæ Apostolicæ confirmatoriæ in Formâ Brevis sub Annulo Piscatoris.

6. Quod si ille, à quo informatio petitur, eam dare negligat, aut prætendatur non satis sinceram datam esse, injungi solet alicui Episcopo viciniori, vel Metropolitanæ aliive Prælato iis in partibus existenti, ut informationem capiat, eamque, ad S. Congregationem referat. Nonnunquam subordinantur etiam Prælati aut Religiosi aliive Probati viri, qui informationes dent Secretas.

7. Quod

7. Quod si vero de criminibus Episcoporum ac Superiorum agatur, re collata cum Pontifice committitur juxta præscriptum Concilii Tridentini, & Apostolicarum Constitutionum alicui Prælato formalis processus inforinmatorius, vel injungitur Auditori Camerae, ut Commissarium constituat prout res postulaverit, & Pontifici vel Congregationi placuerit. Et si Episcopus vel Superior reus deprehendatur, tunc vel suspenditur ejus Jurisdictio, ac deputatur Vicarius Apostolicus, vel ad curiam evocatur, & pro delicti qualitate vel includitur carceri in aliquo monasterio, vel committitur Auditori Camerae, ut servatis servandis eum puniat etiam privando Episcopatu, aut transferendo eum ad Ecclesiam inferiorem, aut alia ratione in eum animadvertendo.

8. In causis Regulares concernentibus, si una pars reluctetur, non immiscet se Congregatio, sed eas ad ordinarios eorum Judices remittit. Quod si Regulares subditi prætendant gravamen sibi illatum à Superiore Generali, seu à M. Magistro, vel à Definitorio, ut non sit Superior, ad quem provocari possit, hoc casu datur aditus ad hanc Congregationem

nem, vel etiam ad Cardinalem Protectorem in Religionibus talem habentibus. *De Luca disc. 23. n. 4. de Regul.* vel demum ad ipsum Pontificem, qui tunc pro controversia illa decernenda deputare solet Congregationem aliquam particularem. *Fagn. in c. de Priore à num. 15. de appell.*

9. Cæterum Congregatio hæc cognoscit causas Regularium non solum publicas, quæ oriuntur ex Regimine Religionis universali, vel inter unam Religionem & alteram, sed etiam privatas inter ipsos Religiosos ortas de electione, officiis &c. Idque ut dictum, summarie & de plano sine formali processu & Notariis, quandoquidem Secretarius vel Cardinalis Ponens recipit informationes, & asservat Scripturas ac documenta. Quemadmodum vero in priori genere causarum scribitur Episcopo pro informatione, eique mittitur copia libelli à læso porrecti; Ita in negotiis Regularium petitur informatio à Procuratore Generali, qui in Curia moratur, vel etiam ab ipso Generali, omnisque adhibetur diligentia, ne veritas celetur.

io. Congregatio hæc omnium est occupatissima, cum in ea pertractentur, quæ ad bonum regimen Religionum, & Regularium spectant. agatque etiam de aliis negotiis, quæ aliis Congregationibus, exceptâ Concilii, communia sunt, contineatque regimen quoddam universale & politicum utriusque Cleri Sæcularis & Regularis. Omnia vero negotia quamvis gravissima gratis, etiam pro Scripturâ expediuntur, adeoque partes nullo gravantur sumptu, nisi per exiguo, quo compensantur labores personales, ac industriæ corresponsalium, qui negotia curant. Nonnunquam etiam, si causarum qualitas id exigat, honorarium datur Advocatis, & Procuratoribus, & expensæ factæ in informationibus capiendis, refunduntur. *De Luca Rel. Rom. Cur. disc. 16.*

ii. Habetur hæc Congregatio in Palatio Apostolico singulis diebus Veneris, exceptâ Feriâ sextâ Septimanæ Sanctæ, quando anticipatur in Feriam quintam; & tempore vacationum Æstivarum Generalium, quo rarius Deputati congregantur, nisi negotiorum multitudo & qualitas aliud exigat,

12. Literæ & Decreta hujus Congregationis, quæ magna diligentia asservantur in Archivio Apostolico, scribuntur & subscribuntur à Secretario, ac manu Sigilloque Cardinalis Præfecti roborantur, sine quibus inscriptionibus & Sigillo expeditiones authenticæ non habentur, ideoque extra Curiam nil deferendum est attestationibus resolutionum, seu declarationum hac duplici subscriptione & Sigillo carentium. In Curia vero, cum facile veritas ex Registris, quæ in Archivio Apostolico asservantur, haberi possit, istæ solennitates subscriptionis non requiruntur. De Luca disc. 16, Rel. Rom. Cur. n. 2.

CAPUT XX.

De S. Congregatione Jurisdictionis, & Immunitatis Ecclesiasticæ.

1. Cur & à quo instituta sit.
2. Quod sit munus hujus Congregationis.
3. Qui constituent hanc Congregationem.
4. Ubi & quando habeatur.

5. Quo